



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

12 Vir, & uxor, quae vovere non possint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

quest. 4. c. quando, de iurejur. & Graff. c. 21. num. 7.

8 Ad voti validitatem ¶ considerata tantummodo persona votentis, tria requiruntur, videlicet, rationis deliberatio, propositam voluntatis, & promissio, in qua voti ratio perficitur, quæ tria non multa¹² indigent deliberatione, sed subito fieri possunt. Sylvest. in verb. iuramentum, 4. n. 9. quem sequitur, Graff. ead. cap. num. 2. sed non omnes habent potestatem votendi, quia sex genera personarum votere non possunt.

9 Primò, ¶ Episcopus votum, per quod vineculum inter ipsum, & suam Ecclesiam contractum dissolvatur, emittere prohibetur, nec etiam aliud, per quod ecclesiæ suæ graviter præjudicetur, unde votum peregrinationis, per quod diu ab ecclesia sua abesse deberet, sine licentia Papæ emittere non potest, cap. nisi cum pridem, in sin. de renunciat. cap. sicut nostris, & ibi glol. in verb. in damnum, de iurejur. cap. magna, de vot. & vot. redem. & cap. licet, de regul. emittere tamen potest votum abstinentiæ, & eleemosynæ, ac omne votum, per quod bonum præbeat exemplum, d. c. magna, Host. in summ. de vot. §. quis votere possit num. 7. & Graff. decis. aur. cap. 12. nu. 13. par. 2. lib. 2.

10 Secundo, ¶ monacho non licet votere sine consensu sui Abbatis, & si voverit irritandum erit, cap. voto. 20. quest. 4. & S. Th. 2. 2. quest. 88. artic. 8. similiter nec Abbates sine consensu suorum superiorum, Abb. in cap. scriptura, in sin. de vot.

11 Tertio, ¶ nec clericus secularis votum peregrinationis sine sui Episcopi consensu emittere potest, sed votum continentie, & religionis eidem emittere licet, cap. duæ

19. quest. 2. cap. non oportet, de consecr. dist. 5. Innoc. in cap. scriptura, num. 3. & ibi Abb. num. 9. de vot. præsertim, si habet beneficium, quod personalem residentiam requirat, cap. admonet, ubi etiam glol. in verb. in consulto de renunc.

12 Quarto, ¶ vir, & uxor non possunt votere abstinentiæ, vel peregrinationem, unus sine consensu alterius, excepto voto peregrinationis ultramarinæ, quod viri, & mulieres altero invito, si sunt potentes, facere possunt, Innoc. in d. cap. scriptura, n. 3. vers. vir autem, & ibi Abb. num. 8.

13 Quinto, ¶ votere validè non possunt impuberes sine tutoris, vel patris auctoritate, cap. 1. & 2. 20. quest. 2. nec pubes filiusfamilias, excepto voto religionis, quod liberè emittere potest, sine consensu patris, Hostiens. in sum. §. si quis votere. num. 7. vers. sed nunquid, de vot. sed ad professionem emittendam, hodie non sufficit pubertas, quia religionem nemò profiteri potest ante annum decimum sextum æpletum. Conc. Trident. cap. de reg. & monia. sess. 25.

14 Sexto, ¶ nec servus votere potest quicquam, quo minuatur servitium domini, cap. si servus § 4. dist. cap. mulieres, & cap. relatum, de sentent. excomm. & Innoc. in dicto cap. scriptura, num. 3. & nemo potest per votum ¶ se firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur, sine consensu sui superioris. Num. cap. 30. Quod autem non possit quis per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius, sed ad id tantum, quod est in sua potestate, quoniam. qui est subiectus alteri, quantum ad ea, in quibus est subiectus, non potest facere, quod vult, sed dependet à voluntate alterius, quapropter ea ratione